Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26355
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Christi sub sacramento est totum in tota hostia et totum in singulis partibus hostie. ergo per localem distantiam partium hostie inter se vel a se corpus Christi non distabit localiter a se ipso. Sed quod in diversis locis existens non distat localiter a se ipso potest esse unum et idem numero in singulis illis locis. ergo corpus Christi sub sacramento existens esse potest unum numero eodem tempore in diversis locis. Similiter ex septima proprietate et eius causa sumitur septima ratio que talis est. Inter nullum locum et quemlibet locum non est aliquis locus medius. Hoc patet per se. quia si esset dare aliquem locum medium. ille locus non esset locus. quia esset locus alius ab omni loco quod est impossibile. Quod autem est illocale. non est localiter in aliquo loco. ergo inter illud quod est illocale et inter quemlibet locum non est aliquis locus medius. Sed corpus Christi sub sacramento existens est illocale. ergo inter corpus Christi sub sacramento existens et inter quemlibet locum et localiter existens in loco non est aliquis locus medius. Inter que vero non est medius locus non est distantia secundum locum. ergo inter corpus Christi sub sacramento et quodlibet corpus localiter existens in loco non est media distantia secundum locum. Corpus autem Christi prout est in celo est localiter in loco. et prout est sub sacramento est illocaliter in loco. ergo inter corpus Christi sub sacramento et inter ipsum corpus existens in celo non est aliquis locus medius nec media distantia localis. Corpora vero non distantia secundum locum non est necesse esse diversa secundum numerum. Que autem non est necesse diversa esse secundum numerum possibile est eadem esse secundum numerum. ergo corpus Christi existens illocaliter sub sacramento et localiter in celo. et cum non distans a se ipso secundum locum. non est impossibile esse unum et idem secundum numerum. Radix autem veritatis predicte rationis est ista. quia que distant loco sunt in loco. ergo a destructione consequentis. que non sunt in loco non distant loco. Eodem modo valet. Que distant localiter sunt in loco localiter. ergo a destructione consequentis. que non sunt in loco localiter non distant loco localiter.

Eadem via patet quod corpus Christi prout est in diversis altaribus sub sacramento non distat secundum locum a se ipso et per consequens potest unum et idem esse numero. quia inter id quod localiter non est in loco et quodlibet illocaliter existens in loco non est locus medius. quod patet quia illa sola localiter id est per locum medium distant a se que localiter sunt in loco. Sed corpus Christi sub sacramento existens in uno altari et in pluribus eodem

Unde consequens est quod que non distant localiter in hiis distantia secundum locum non necessario facit distantiam secundum numerum.